



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

13. Multas mutationes hominum tantúm phantasticas esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

XIII.

Sentio quartò, aliquando ex humorum vitio, & atrabili excessu phantasia ita mutari, vt nonnulli tristitia efferati, putent se in bestias esse commutatos, induantq; affectus lupinos, odiumq; gregis, aut hominum, ac proinde etiam desiderium eos inuadendi, lacerandi, vorandi. Quem affectum medici *λυκάωρα*, *λυκανθρωπίαν* vocant, interq; morbos, recensent, à Paulo Egyneta alijsq; medicis *melancholiam*, vel *insaniam lupinam* Latinè nominatam. Sicut enim Aiax præ insania in gregem pecorum sæuijt, putans se in Vlysssem & alios homines sæuire; ita potest nimius mœror, hominem adeò de mente deijcere, vt se in belluam versum arbitretur; immò vt se magum, aut sagum dæmoniç; addictum esse existimet. Quales aliquot ad me adductos, fatentesq; se veneficos esse, cùm viderem nimia melancholia laborare, misi ad medicum & vena secta vidi curatos. Cur enim imaginatio nò posset ingerere talem cogitationem, si eadem, teste Auicenna, potest hominem eò ducere, vt se canem, leonem, vel aliam bestiam esse existimet? Itaque qui sola corruptione phantasiæ laborant, magi non sunt, licet se magos esse dicant, licet se lupos esse persuasum habeant; licet lupinæ pelle, aut nube non recti grassentur. Insaniæ enim, non magiæ est effectus ille; & clarè vident alijs eos homines, non lupos, non vrsos, non leones esse. Talis sibi non ceteris videbatur pater Præstantij, apud D. Augustinum; & agricola Patavinus apud Fincelium, & vidi ipse multumq; egi cum aliquo, qui per aliquot hebdomades, ex tristi casu, eò amentia deuenit, vt se non in lecto, sed in flamma Inferni damnatum iacere putaret, omnesq; ad se accedentes, pro diabolis haberet, vocesq; desperatione plenissimas iactaret, idq; per plures hebdomades continuò, diu noctuq; tanta vociferatione, vt nullæ humanæ vires tam inconditis assidujsq; clamoribus sufficere posse viderentur. Post multos menses ad se paulatim redijt, & ad officia honorata. Pluraciusmodi exempla qui volet, narrat plura Io. Nider, & sanè luculenta. In his ramen prudenter attendendū est, qua vita prius fueriat. Callidus enim est Alastor, & vt ipse est pater mendacij, ita sæpe docet etiam veras sagas, cùm iam deprehensa sunt,

Paul. Egyneta. l. 3 c. 16.

Anicenn. l. 3. fo. 1. t. 4. cap. 24.

S. Augustin. lib. 18. cap. 8. Fincel. lib. 2. de mirac.

Io. Nider. l. 5. Formicarij cap. 13.

sunt, insaniam simulare, ut fingendo morbo euadant, quod sacrilega impietate meruissent. Quin certum est, etiam in ipso sacro tribunali multas eiusmodi Orco mancipatas mulierculas; postquam verè cœperunt confiteri ac resipiscere, subita diaboli suggestione deceptas, omnia extemplo retractare, quæ paulò prius sponte confessæ sunt; quæ si vrgeantur, ut constanter pergant pœnitentiã uti, dicunt, se prius quasi per somnium locuras, nec mente præsentẽ fuisse. Ibi Confessarius habet campum pugnandi, instandi, vrgendi, adhortandi, ut bene cœpta non interrumpant, & se tandem tam dira Stygij tyranni seruitute liberent. Cessit multis feliciter ille conatus, animasq; amabili constantia & cõstanti charitate lucrati sunt; quas utique fide statim mendacijs adhibita, per lenitatem perdidissent.

Sed, ut ad rhombum redeamus, etsi dæmon potest efficere dictis modis monstra ex hominibus, animaduertendum tamen est, quid agat, quando specie picæ, mustelæ, aut bufonis, vel etiam muris, aut felis, alteriusuè parui animalis tales sibi videntur apparere. Nam quemadmodum ipse non potest loca distantia ab inuicem, non occupato medio, simul implere, & idcirco nec vnum corpus in duobus locis disiunctis simul collocare; ita neq; potest quantitatem corporum sic mutare, ut inde partium penetratio sequatur. Quia id natura nõ permittit, & meritò cum Aristotele D. Thomas reclamation. Potest vtrumque Deus, vel diuina virtute Angelus; ita enim S. Nicolaus, S. Agatho, S. Benedictus, S. Ambrosius, S. Franciscus infinita Dei virtute, simul in duobus locis visi sunt; & D. Chrysostomus ait, Habacuc ab Angelo demissum & redutum ex lacu clauso, & sigillis integris manentibus; docetq; cum D. Augustino fides, ita Christum Dominum post resurrectionem, ad discipulos clausis ianuis ingressum; sicut & clauso manente sepulchro resurrexit; & illæso claustro virginali in lucem prodijt. Potest hæc Deus naturæ dominus, & in virtute Dei Angeli boni; at spiritus mali neutrum possunt, quia nihil possunt supra vires naturæ. Quare, si Pythagoras, eodem tempore, in duabus vrbibus conspectus est, ut de eo Origenes tradit;

XIV.

Petr. Tyræus
lib. 2. de spi-
rit. appar.
cap. 6 & 7.

S. Chrysost.
orat. de in-
credulit. D.
Thomæ.
S. Augustin.
tract. 121. in
Ioan.
Ioan. 10. 19.

Orig. lib. 6.
contr. Cels-
sum.

tradit;